



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De repressaliis, sive pignorationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

fundantur in quibusdam præsumptionibus, aut pœnalibus legibus, & pluribus à Theologis explicantur, plura addenda hîc non videntur. Videantur Theologi in materia de restitutione.

§. III.

*De repressaliis, sive pignorati-
onibus?*

Repressaliæ sunt literæ, in quibus Princeps, vel respublica suis subditis, aut militibus injustum damnum passis, potestatem dat invadendi, & occupandi eorum, qui damnum dederunt, bona, etiam si ipsi pars quidem sint ejus communitatis, contra quam repressaliæ concessuntur, innocentes tamen sint, ad damni compensationem; licitas esse has, praxis docet, si debitæ conditiones observentur, & primò quidem, ut auctoritate Principis, qui

bellum indicere potest, indicentur. Secundò ut justa causa sit, earum indicendarum, talis scilicet, quæ ad indicendum bellum sufficeret. Tertiò ut sit recta illius intentio, cui conceduntur repressaliæ. Quartò ut illatum damnum, & interesse datum, non excedant. Quintò ut non fiant in personis, sed in rebus tantùm, saltem ex principali intentione, quidquid per accidens sequatur. Sextò ut priùs admonitus sit de compensatione danda, contra quem repressalia conceduntur, & tamen non latifecerit; neque tamen repressaliæ concedi possunt contra personas Ecclesiasticas, aut bonas earum, *cap. et si in 6. h. t.* uti nec contra scholares, *ausb. habita cod. ne Filius pro*

patre &c. cum personæ tales censentur Privilegiatæ, & consequenter contra eas odiosa extensio non est facienda,

T I T V L V S XXXVII.

DE POENIS.

§. I.

De poenis in genere.

Pœna in genere rectè definitur, quòd sit *criminum coercitio seu vindicta ad disciplina publicam emendationem inducenda* & quamvis semper culpam supponat pœna, non tamen semper illius, qui panitur, culpam supponit; sic in

crimine læsæ Majestatis, liberti etiam nonnunquam puniuntur innocentes, propter delictum patris &c. sunt autem pro varietate delictorum varietatibus etiam pœnæ; aliæ capitales, quibus mors naturalis, vel civilis infertur, aliæ non capitales quidem, corporales tamen, sive corporis afflictivæ; aliæ pecuniariæ, privatis vel fisco publico applicandæ; aliæ ordinariæ, & legales, à lege, vel Prin-